



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De  
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ  
Gratiæ Ad Honesta Opera

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1620**

Cap. XXX. Vtrum homo in aliquo statu possit diligere Deum authorem  
naturæ amore benevolentiae per liberum arbitrium, sine auxilio gratiæ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

# Cap. XXX. Vtr. homo in aliquo statu possit diligere Deum autorem, &c. 333

magnam, sed etiam parvam, seu imperfectam charitatem esse ex speciali infusione Spiritus Sancti. De dilectione autem illa, qua Deus præcipitur diligere ex toto corde, infra dicitur. Tandem de eadem dilectione charitatis intelligenda est celebris illa sententia Augustini, *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*, intelligitur enim ad diligendum sicut oportet. Ad hoc autem amilimus, non solum facilitatem, sed etiam potestatem, quia & charitatem habitualement perdidimus, quæ dat potestatem sic amandi & indigni facti sumus omni auxilio, quo valeat illa potestas suppleri. Gratia autem Salvatoris restituit nobis illam potestatem, & ita etiam restituit libertatem respectu talis amoris. Quod si quis velit, sententiam illam etiam ad amorem naturalem Dei extendere, non in quolibet, sed ad summum in amore super omnia permitti potest, quo autem sensu id intelligi debeat infra dicitur.

19. Ad rationes etiam ex eadem doctrina facili est responsum, nullus enim amor Dei naturalis etiam in illo ordine perfectissimus, est meritorius gratiæ, nec propria dispositio ad illam, nec vnice animam Deo, sicut oportet, & ideo non computatur inter illa opera pietatis, quæ ad propriam religionem, & iustitiam infusam spectant, de quibus est sermo cum dicitur, nullum opus pietatis fieri posse sine auxilio gratiæ. Nam si loquamur de pietate prout significat quemlibet cultum Dei, vel parentum honorem, sic constat, aliqua opera pietatis esse naturalia, & per discursum rationis fieri posse. Quod vero ultimo loco addebatur ex Patribus, qui dum concedunt aliqua bona opera libero arbitrio, id declarant de operibus moralibus ad hanc temporalem vitam pertinentibus. Hoc, inquam, facile habet responsum, quia id non faciunt ad limitandam sententiam, sed ut exempla adhibeant in rebus, aut facilioribus, aut etiam frequentioribus. Accedit, quod homo gratia destitutus, si aliquod boni operatur erga Deum, id ordinarie facit intuitu aliquis boni huius vitæ.

## C A P V T XXX.

*Vtrum homo in aliquo statu possit diligere Deum autorem nature amore benevolentia per liberum arbitrium sine auxilio gratia?*

1. In hoc capite tractanda est sententia Patris Vazq. 1. 2. disp. 195. c. 2. ita distinguens amorem concupiscentiæ, & benevolentia Dei, ut priorem dicat semper esse naturalem, posteriorem vero semper supernaturalem in substantia sua, id est, qui suapte natura superioris ordinis principium, & habitum per se infusum postulet. Vtramque autem harum partium intelligit, siue amor versetur circa Deum, ut finem naturalem, siue ut supernaturalem. Quod ergo attinet ad priorem partem libenter illam admittimus quoad amorem concupiscentia Dei, ut est finis naturalis, illam enim omnes Theologi supponunt, & probant ea, quæ capite præcedenti dicta sunt, & à fortiori illam confirmabunt, quæ in præsentem dicemus. Quod vero spectat ad amorem concupiscentia Dei, ut est finis supernaturalis, illa sententia valde difficilis nobis est, dicemus autem de illa in libro sequenti, quia ad illam spectat. E converso autem in posteriori parte de amore benevolentia facile admittimus, si talis amor sit de Deo sine supernaturali, esse ordinis supernaturalis in sua substantia, & principio, id vero etiam hic omittimus, quia ad librum sequentem pertinet.

2. Solum ergo hic tractamus de amore benevolentia Dei, ut est author, & finis naturalis. De illo dictus author affirmat, esse in substantia sua supernaturalem, ita ut neque homini in vilo statu, neque Angelo possit

esse naturalis, nec per principia naturalia elici possit. Cuius sententia meminit D. Th. quodlib. 2. art. 3. præfertim ad 3. Videturque fuisse opinio Alex. Alenf. in 2. p. q. 30. membr. 1. §. 2. in solutionibus priorum argumentorum, maxime ad 1. & ult. Citatur etiam pro hac sententia Albert. 2. p. tract. 4. q. 14. membr. 4. art. 2. Sed hoc opus Alberti non habeo, nec videre potui. Citatur etiam Altfio. lib. 2. summ. tract. 1. c. 4. Sed ibi contrarium docet, licet in c. 6. male id explicet, ut infra dicam. Item adducitur Scotus, sed ille potius vix cognoscit amoris Dei in se supernaturalem, ut infra ostendam. Præterea ex Moderis allegatur Bannez 2. 2. q. 23. art. 1. Sed ille dicit amorem Dei naturalem non sufficere ad amicitiam cum Deo, non tamen negat esse benevolentiam. Refertur etiam Bell. lib. 6. de Grat. & lib. arbitr. Sed ille de solo amore super omnia differt. Denique citatur Alphonsus Viues. Philippi. 2. cont. Lutherum, quem videre non potui.

Pro hac sententia in primis sumitur argumentum negatiuum ex Scriptura, & Patribus, quia vbiq; commendant, & laudant maxime amorem Dei propter se ipsum, & illum absolute dicunt, esse amorem charitatis Dei, nunquam vero distinguunt inter Deum dilectum, ut finem naturalem, vel supernaturalem. Specialiter vero Augustinus in id Psal. 53. *Voluntarie sacrificabo tibi*, ait amorem gratuitum ad Deum esse, quo propter se, & non propter aliud diligitur, ergo talis amor non potest esse naturalis. Nam ibidem dixerat, amari Deum ex charitate, idem esse, quod *Gratuito amari*. Deinde adduntur rationes. Prima est, quia amor benevolentia est amor amicitia, amicitia autem cum Deo est charitas, nec potest esse naturalis inter hominem, & Deum, ut cum Aristotele sentit D. Thomas. 2. 2. q. 23. art. 1. vbi omnes interpretes idem docent: ergo neq; benevolentia ad Deum potest esse naturalis, ac subinde, nec sine gratia Christi potest haberi. Secunda ratio est, quia talis benevolentia est supra inclinationem nature, quia natura inclinatur ad bonum, ut sibi coniungens, unde est illud Aristotelis lib. 8. Ethicor. ad Nicomach. c. 2. *amabile bonum, unicuique autem proprium*, & inde etiam appetibilia ad alterum dicuntur oriri ex appetibilibus ad se ex 9. Ethic. c. 8. ergo amare Deum propter se in eo consistendo, quod est benevolentia proprium, non ex natura, sed ex gratia oriri potest.

Tertia, & præcipua ratio est, quia amor benevolentia ad Deum tantum vnus esse potest, sed certum est, quendam amorem benevolentia ad Deum, esse supernaturalem, & charitatis, quæ sine Spiritu Sancto haberi non potest, ergo nullus superest amor benevolentia Dei mere naturalis. Consequencia quidem euidentis est, supposita minori, quæ nunc supponitur. Maior ergo probatur, quia tunc amatur ex benevolentia Deus, quando propter suam intrinsecam bonitatem amatur, illam ei volendo, & alia propter illam, ergo hæc bonitas Dei est, quæ amori benevolentia speciem tribuit. At illa Dei bonitas vnica est, ergo tantum esse potest vnus species illius amoris, quia actus sumit speciem ab obiecto formali, quod in voluntate est motium volendi, seu bonitas, propter quam res amatur. Nec refert, quod talis bonitas possit cognosci diuersis modis, quia cognitio diuersa, si applicat eandem rationem amandi, non variat speciem amoris, quia solum est conditio, sine qua non. Sicut fides & visio clara non variat speciem charitatis, sed est eadem in via, & in patria.

Quarta ratio sumitur ab incommotis, vnum est, quia sequeretur, hominem existentem in statu peccati mortalis, posse ex benevolentia diligere Deum, quod absurdum videtur; nam talis amor est amicitia, vel ad illam pertinet. Vnde tolleret peccatum, quod est inimicitia ad Deum, & cum amicitia esse non potest. Augeturque difficultas per aliud incommotum, quia si amor benevolentia Dei posset esse naturalis, etiam amor super omnia esse posset natura-

3. Probatur auctoritate negatiua.

Accedit ratio 1.

Ratio. 2.

4. Ratio. 3.

5. Ratio. 4.

naturalis: consequens est falsum; ergo. Sequela probatur, quia diligere Deum super omnia; nihil aliud est, quam diligere illum propter suam bonitatem; præcise quatenus est suprema bonitas excedens omnem aliam; hoc autem habet amor Dei eo ipso, quod est pura benevolentia ipsius; ergo. Vnde sequitur tertium inconueniens, quia talis amor esset proxima dispositio ad gratiam, & iustitiam, quia nulla potest esse propinquior, quam sit amor Dei super omnia, vel per se spectatus, vel adiuncto dolore de peccatis ex eodem amore, qui facile posset eisdem naturæ virtutibus concipi, si amor illenaturalis esset.

6.  
Sententia  
affirm &  
communis  
asseritio.

Nihilominus assero, dari posse in hominibus aliquem amorem benevolentia Dei naturalem in substantia sua, seu in ordine suo. Hæc est sententia D. Thomæ in dicto quodlibet. & in præsentia materia q. 109. art. 3. & idem docuit de Angelis in i. p. q. 60. art. 5. in corpore, & ad 3. Et illam ex professo docuit Alenf. 2. p. q. 90. membr. 1. art. 1. in solut. argum. tractans de statu primi hominis ante peccatum. Vbi videtur priorem sententiam retractasse. Eandem docet expressè de Angelis Alber. de quatuor coæqui. p. 1. q. 5. art. 17. Ac denique est communis Theologorum, quos in capite sequenti referam. Nam etiam illi, qui dicunt, amorem super omnia esse ultra vires naturales hominis lapsi, non negant in vniuersum omnem amorem benevolentia esse naturalem. Item omnes admittunt distinctionem illam duplicis amoris Dei, naturalis, & infusi, vt cadit in amorem benevolentia; vt ex ibidem dicendis patebit. Ideoque existimo in eodem sensu Baium illam distinctionem negasse, ac proinde non parum fauere nostræ sententiæ Pontifices in Bulla sæpe allegata. Ex Scriptura vero, Concilijs, & Patribus non potest hæc sententia probari, quia illi indistincte loquuntur de amore Dei, & directe solum docent, non posse haberi, sicut oportet, sine auxilio gratiæ, vt vidimus. Quid autem dicendum sit de amore Dei, qui non attingit gradum illum, vel modum per illam particulam, *sicut oportet*, explicatum, & qualis possit ille amor esse, non definiunt, sed disputationi Theologorum relinquunt.

7.  
Ratione probatur  
asseritio.

Probatur ergo ratione asseritio, quia vel hic amor excedit ordinem naturæ ex eo precise, quod benevolentia est, vel quia Dei est, neutrum dici potest; ergo. Probatur minor quoad priorem partem; quia amicitia inter homines honesta naturalis est, quam cognouerunt, & commendarunt omnes Philosophi; hæc autem amicitia includit amorem benevolentia; nam qui amat alterum in suum proprium commodum, tantum deficit à virtute, & perfectione amicitia; quantum ab amore concupiscentia trahitur, vt dixit D. Thom. 1. 2. q. 26. art. 4. ad 3. Imo Aristot. 8. Ethicorum cap. 3. & 4. dixit, solam benevolentia amicitiam esse per se, ac simpliciter amicitiam, alias vero esse per accidens, & secundum quid. Hæc autem amicitia maxime est consentanea naturæ rationali ex inclinatione, ac dictamine eius, ac proinde est simpliciter naturalis; ergo & amor benevolentia, quo nectitur, naturalis est. Confirmatur experientia, nam mater amat filium amore benevolentia, quamuis nulum commodum ab illo expectet: ergo benevolentia, vt sic, neque est contra, neque supra inclinationem naturæ. Imo ait D. Thomas pertinere ad rectitudinem naturæ, quia non esset bene instituta, nisi hanc inclinationem haberet. Et declarari potest, quia natura humana socialis est, & ad suam conseruationem humana societas etiam in naturalibus recte subsistere, si omnes se ipsos tantum amarent propter se: ergo inclinatio ad amandos alios ex benevolentia, est naturalis. Denique etiam in rebus inanimatis est quædam participatio huius inclinationis, sicut est in sole ad illuminandum, & bruta etiam illam participant. Vnde recte notauit D. Thomas in illo quodlibeto, ad vlt. licet inclinatio ad recipiendum sit naturalis, per-

Confirmatio.

tineatque ad amorem concupiscentia, nihilominus inclinatio ad agendum, licet ad amorem benevolentia pertineat, non minus naturalem esse, ergo præcise ex illa ratione generali non est hic amor supra inclinationem naturæ.

Quod autem ex tali obiecto, seu termino benevolentia, nimirum, quod sit, Dei, non habeat benevolentia esse supra inclinationem naturæ, probat D. Thomas ex eo, quod Deus est bonum vniuersale, & quasi commune, seu quasi bonum totius, vnde sicut pars naturaliter inclinatur ad bonum totius propter ipsum, interdum etiam cum nocumento proprio, ita voluntas naturaliter inclinatur ad Deum propter se ipsum tanquam vniuersale bonum, de qua ratione latius in capite sequenti. Nunc aliter probari potest, quia diuina bonitas cognosci potest naturali lumine tanquam summa in ordine naturæ: & propter se amabilis: ergo ratio ipsa naturalis dictat, esse honestum amare Deum propter se, id est, velle illi bonum, solum vt ei bene sit, quod est amare ex benevolentia: ergo hic amor est ordinis naturalis, & voluntas quantum est ex se, potest ex naturali virtute, & propensione illum elicere, quia hæc propensio libera voluntatis est veluti adæquata rationi, seu dictamini naturali.

Vnde contraria sententiæ Authores non potuerunt vim huius rationis effugere, nisi negando hoc dictamen, *author natura est propter se diligendus*, esse possibile ex mera ratione naturali. Sed hoc incredibile est, & si expugnatum, nulla ratione ab aduersarijs ostenditur. Deinde euidentius est, Deum esse summum bonum: ergo euidentius est, esse honestum, & rationi consentaneum, & complacere de bonis eius intrinsecis, vellet, vel gaudere, quod illa habeat, & optare illi bona extrinseca honoris, & laudis, non alia ratione, nisi quia illorum dignissimus agnoscitur: ergo isti affectus de se maxime naturales sunt, cum tamen ad amorem benevolentia pertineant, vt per se notum est. Et declaratur amplius, quia creatura rationalis cognoscit naturaliter, Deum authorem suum esse dignum hoc amore; nam de homine studioso, & bono cognoscit esse amabilem hoc benevolentia amore: ergo eadem rationalis creatura iudicat naturaliter, creatorem ita esse à se diligendum per benevolentiam, quia neque in hoc inuenit repugnantiam, neque aliquid discrepans: imo maxime consentaneum rectæ rationi: ergo affectus benevolentia consentaneus huic iudicio ex suo genere, & obiecto naturalis est, potestque per illud iudicium, quantum in ipso est, sufficienter excitari. Idemque argumentum potest de Angelis fieri, de quibus incredibile est non posse virtute naturali hoc agnoscere, & amare: & tamen dicti authores eodem modo coguntur loqui de Angelis, quo de hominibus, quia Angelus etiam est capax charitatis, & amicitia supernaturalis ad Deum, ex quo principio inferunt, benevolentiam ad Deum non cadere sub dictamen rationis naturalis, nec sub facultate naturali voluntatis.

Denique confirmatur, quia ratio naturalis dictat, colendum esse Deum, & gratias illi esse agendas, vt supra ex Paulo dicebamus, & videtur esse consensus Theologorum omnium: nam prima tria præcepta Decalogi moralia, & naturalia sunt, quatenus circa Deum authorem naturæ versari possunt, alijs idololatriæ non esset contra præceptum naturale. Si ergo cultus Dei est de se ordinis naturalis, quia est ex dictamine rationis naturalis, à fortiori dicendum idem est de amore benevolentia Dei. Probatur consequentia, quia verus cultus nititur in excellentia, & dignitate personæ secundum se spectatæ sine ordine ad bonum colentis, per se loquendo, & ita in hoc æquiparatur amori benevolentia, & vt recte fiat, in illo fundatur. Maxime vero gratiarum actio, vel gratitudo videtur intime includere benevolentia amorem. Nam licet amare aliquem propter respectum ad

8.  
Deinde effugit  
dictamen  
benevolentia  
non erga Deum  
ita inclinatio  
naturalem.

9.  
Ad hoc  
autem  
rationem  
non sufficit  
expugnatum.

10.  
Confirmatur  
autem  
rationem  
expugnatum.

futura beneficia, sit concupiscentia, tamen amare propter beneficia iam recepta, quod est gratitudinis, ad benevolentiam pertinet. Quia in hac actione gratitudinis iam non respicitur commodum proprium, tanquam motum proximum eius, sed solum ut fundamentum quali remotum, proxime autem ad illud mouet benevolentia alteri debita illo titulo. Sicut ergo aliqua gratitudo ad Deum naturalis est, ita etiam aliqua benevolentia.

11. Ex hoc infero, & dico secundo, hominem in statu innocentia, seu integra natura potuisse habere hunc amorem absolute perfectum sua perfectione naturali liberum arbitrium sine speciali auxilio gratia. In natura autem lapsa (idemque est de pura) posse illum habere pro aliquo tempore, & aliquo modo, seu in aliquo gradu imperfecto, etiam intra terminos naturalis amoris. Prior pars de homine in natura integra sumitur ex sententia communium Theologorum cum D. Th. d. q. 109. art. 3. ubi ait, hominem in statu nature integræ potuisse diligere super omnia Deum, ut autorem naturæ, ut capite sequenti exponemus, ubi etiam explicabo, quid sit diligere Deum super omnia; nunc satis est illis verbis explicari summam perfectionem substantialem (ut sic dicam) quam habere potest amor Dei naturalis absolute perfectus, & ideo si homo in illo statu potuit habere amorem super omnia, potuit etiam habere amorem simpliciter perfectum naturali perfectione, sicut in conclusione dixi. Sequitur denique hæc assertio ex prioribus, suppositis, quæ supra dicta sunt de statu integræ nature. Nam ostensum est, hunc amorem esse ordinis naturalis, & ex motu naturali; sed ratione perfectionis naturalis non transcendit hunc ordinem naturalem; ergo etiam cum illa perfectione est de se actus naturalis, & commensuratus viribus voluntatis. Sed in statu innocentia nulla erat difficultas operandi, quidquid esset commensuratum viribus voluntatis; ergo.

12. Altera vero pars de homine lapsa declaratur; quia amor benevolentia potest esse duplex, scilicet, imperfectus, & perfectus. Afferitur ergo posse hominem lapsum saltem imperfectam benevolentiam erga Deum ut autorem naturæ habere sine gratia auxilio. Probatur, quia talis actus est naturalis, & de se non excedit vires naturales voluntatis, ut ostensum est; ergo ex hac parte possibilis est. At vero in usu, seu exercitio illius non semper, & in omni occasione occurrunt impedimenta, quæ illum actum reddant nimis difficilem, etiam in hoc statu nature lapsæ, quia non semper graues tentationes occurrunt, neque infirmitas moralis corporis, vel fomitis concupiscentia semper actu mouet; ergo neque semper impedit: ergo neque ex hac parte est moraliter impossibilis talis actus sine auxilio gratia: ergo est simpliciter possibilis. Et declaratur amplius, quia hic actus imperfectæ benevolentia non habet formalem repugnantiam cum omnibus peccatis, nec includit obseruantiam omnium præceptorum: ergo non est cur non possit interdum fieri solis viribus liberi arbitrij. Consequentia patet ex capite sequenti, quia nulla alia difficultas inuenitur in amore super omnia. Antecedens autem patet, quia duplici modo potest esse imperfectus hic amor benevolentia Dei, primo ex parte obiecti adæquati quasi naturalis, secundo ex modo ipsius actus. Priori modo est imperfecta illa benevolentia Dei, quæ est per modum simplicis complacentia de bonis interioris Dei: nam potest homo velle Deo bona illa, quæ in se habet, & de illis complacere, & nihilominus velle in alijs rebus appetitum suum explere: ergo actus ille, nec opponitur omnibus peccatis, neque habet, unde sit semper valde difficilis: imo de se videtur suauis, & facilis. Similis est actus, quo quis vult Deo propter se ipsum honorē, & gloriam, quæ per cognitionem illius veram, & religionem illi exhibetur, non tamen vult in omnibus illi obedire, quia hæc duo non repugnant, & tamen illa sine dubio quædam benevolentia Dei est.

Posteriori modo est imperfectus actus benevolentia,

quæ licet ex parte obiecti se extendat ad omne bonum diuinum, in modo volendi est imperfectum desiderium, non absolutum decretum, sed per simplicem complacentiam, seu actum conditionatum, vel Deo placere in omnibus: hic non quidam affectus benevolentia est, non tamen mouet efficaciter ad obseruantiam omnium præceptorum, sed potius cum illo potest esse peccatum et actuale. In hoc ergo actu cessat illa difficultas, ac subinde non est, cur repugnet, ut sine auxilio interdum eliciatur. Quod enim Vazq. disp. 194. n. 36. obijcit, per hæc verba, *Vellem, &c.* non significari actum qui in presenti habeatur, sed qui haberetur, si talis conditio impleteretur, falsum est, quia etiam illo verbo explicatur præsens affectus inefficax, & conditionata voluntas, qualis fuit in Chirillo, quando orabat, *Pater, transeat à me Calix iste*, & quando voluit latere, & non potuit, ut late ostendi primo tomo de Incarnatione, disp. 38. sect. 2. Et simile voluntatē habet piger, cum ita vult, ut nolit, propter quod de eo dicitur Prover. 13. *Vult, & non vult.* Similemque actum nolendi habet, qui præ timore projicit merces in mare iniustus, ut dicitur, secundum quid, licet interdum fidelis negat Christum in tormentis, quem nollet negare: in illo ergo est voluntas inefficax honorandi Christum, quæ illi peccato non satis opponitur. Sic igitur etiam circa Deum ut obiectum naturale potest, esse talis amor.

14. Superest, ut ad argumenta respondeamus, & in primis ad auctoritatem negatiuam Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, iam supra responsum est, Scripturam præcipue instruere homines ad diligendum Deum ex fide, & sicut oportet ad vitam æternam, & ideo fere semper indifferenter loqui de charitate, & de dilectione Dei perfecta, quæ est dilectio Dei ut finis supernaturalis, & ideo semper tribuit gratia amorē Dei, & præcipue illum, qui ad benevolentiam spectat. Nunquam tamen Scriptura negat Deum, sicut potest per rationem cognosci, debere etiam diligere naturali dilectione benevolentia: imo id interdum significat, ut ex Paulo adduxi. Eademque est responsio ad Concilia, & Patres: nam sicut supra ostendimus, cum loquuntur de bonis operibus, ordinarie loquuntur de illis, quatenus ad salutem conferunt, ita multo maiori ratione tractant de amore fructuoso, & in fide fundato, nam verus amor fundatus in sola ratione naturali, & rarus est, & per se non inferens salutem. Et hoc modo loquitur Aug. in locis allegatis. Cum enim David dicebat, *Voluntarie sacrificabo tibi*, certe de sacrificio ex vera fide, & voluntate specialiter à Deo donata loquebatur, & illud exponit Aug. de sacrificio laudis, iuxta illud Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et similiter exponit, tale sacrificium voluntarie offerri, quando gratis amatur, quod laudatur. Vnde ait, *Laudetur voluntate, amatur charitate gratuitum sit, & quod amatur, & quod laudatur.* Vbi gratuitum amorem sine dubio appellat amorem propter solam Dei bonitatem consentaneum ad verba sequentia, *Et confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.* Talem autem gratuitum amorem dicit esse amorem charitatis, non quia nullum veltigium illius amoris (ut sic dicam) possit esse in natura, sed quia ad perfectum amorem, seu laudem ex illo profectam fideles exhortabatur. Et ita etiam D. Thomas prima parte, quæstione 60. art. quinto, ad quartum, tacite exponit August. 12. de Ciuitate Dei, cap. 9. dicentem, dilectionem Dei in principio creationis etiam Angelis fuisse infusam per Spiritum Sanctum, qui datus est eis. Dicit enim loqui de dilectione perfecta Dei, ut est obiectum beatitudinis supernaturalis.

Ad primam rationem respondetur, fundari tantum in verbi æquiuocatione: nam amicitia interdum late sumitur, ut distinguitur ab amore concupiscentia, & sic omnis amor benevolentia potest dici amicitia, sicut supra illos amores distinximus cum communi doctrina. Aliquando vero significat peculiare vinculum inter amicos illa, & ut sit perfecta, & simpliciter ita nominetur, ultra benevolentiam requirit

Ex secunda modo.

14. Ad i. probationem in contrarium in num. 3.

15. Ad i. rationem in eodem num. 3.

quirit plures condiciones, scilicet, quod mutua sit, & cum redamatione, quæ non lateat amicos, & ut inter eos sit conueniens proportio, & communicatio, ut Aristotel. tradit lib. 8. Ethicorum cap. 2. & sequentibus. Loquendo ergo de amicitia hoc posteriori modo, verum fortasse est, inter Deum, & hominem in puris naturalibus non potuisse veram amicitiam intercedere, quod disputatur latius in tractat. de Charitate, ad præfens enim nihil refert. In hoc ergo sensu dato antecedente, negatur consequentia; Aristoteles enim nono Ethicorum, cap. 5. dixit benevolentiam quidem esse similem amicitia, non tamen esse amicitiam, quia nimirum benevolentia potest consistere in simplici actu voluntatis sine alijs conditionibus amicitia, & ita posset esse ad Deum in homine in puris naturalibus. Vide D. Thomam. 2. 2. q. 27. artic. 2.

16.  
Ad 2. ratio-  
nem ibid.

Ad secundam rationem respondet Diuus Thomas 1. parte, quæst. 60. art. 5. ad 1. & clarius 2. 2. quæstione 26. art. 3. ad primum, & secundum, illa axiomata præcipue procedere in bonis particularibus, non vero respectu boni vniuersalis, in quo totum bonum continetur, & à quo omne bonum particulare pendet, ut est Deus. Vnde cum dicitur, amabile bonum, vnicuique autem proprium, dupliciter id potest intelligi, primo quod semper ratio amandi aliquod bonum sit, quia est proprium, ita ut necesse sit, naturalem amorem semper reflecti, & terminari ad ipsum amantem, & hic sensus est falsus, & alienus à mente Aristotelis, cum eius doctrinæ repugnet, ut ostensum est. Secundo intelligi potest, neminem amare bonum alicui, nisi illum, cui bonum amat, tanquam quid proprium, & sibi coniunctum, & quasi vnum secum reputer, & sic verum, vnumquemque amare bonum proprium, sic enim mater amat filium, & vnusquisque amat sibi coniunctos, vel sanguine, vel consuetudine, vel similes, &c. Et sic etiam amor naturalis tendit ad Deum, qui ita est commune bonum, ut vniuscuiusque sit magis, quam proprium, propter dependentiam, quam ab ipso habemus. Aliud vero axiomata, quod amabilia ad alterum procedunt ex amabilitate ad se, alium sensum habet, nimirum, benevolentiam, quam exhibemus alijs, commensurari, & quasi habere pro regula benevolentiam ad se ipsum, nam illa bona debemus alijs velle, quæ nobis rationabiliter cupimus. Et hæc regula vera est inter personas particulares, sicut de amore ad proximum dicitur, debere vnumquemque proximum diligere, sicut se ipsum. Et in hoc sensu loquitur est Aristoteles; illa vero regula non habet locum, ut dixit D. Thomas, in Deo, qui est vniuersale bonum, nam ibi potius dilectio ipsius Dei est regula diligendi se ipsum, ut amor sit honestus, & secundum rectam rationem naturalem. Et hinc etiam est, ut possit hic amor Dei esse benevolentia; imo & super omnia intra latitudinem amoris naturalis, ut in sequenti capite dicam.

17.  
Ad 3. ratio-  
nem in n. 4.  
respondetur  
2. ex senten-  
tia aliorum.

Tertia ratio non potest in præfenti plene, & exacte dissolui, quia in ea petitur, qualis sit differentia inter amorem Dei naturalem, & infusum, quæ pendet ab exacta cognitione vtriusque extremi, nondum aut tractauimus de amore infuso, & ideo vsq; ad librum sequentem non possumus discrimen illud perfecte declarare. Nunc solū aduertimus, Altiſiodorensis citato loco c. 6. concedere, amorē charitatis, & naturalem esse eiusdem speciei quoad substantiam, & entitatem actus, q̄ sententiā amplectuntur Scot. Durand. Gabr. & multi alij Scholastici antiqui; imo et Caiet. & Soto in locis allegandis in duobus capit. seq. Iuxta q̄ sententiā, si vera esset, facilis esset responsio ad argumentū: nam ex vnitare obiecti formalis solū potest inferri vnitatis specificæ vtriusque amoris quoad substantiam actus, & nihilominus poterit seruari discrimen inter amorē infusum, & acquisitū secundū aliquem alium modū, ut dicti authores volunt. Alij vero e contrario putant, actū naturalem, & supernaturalem posse esse in substantia sua specie diuerſos, etiam si idem habeant

obiectum formale prout ex motiuo amandi sumitur, quia possunt differre ex modo tendendi, seu ex principijs proximis, à quibus præcedunt.

Hos autem modos dicendi refero, non quia mihi probentur (illos n. in lib. seq. refellam) sed ut declarē, quamuis ad fidē spectet, dari actū aliquem charitatis Dei, qui per vires liberi arbitrii fieri nō possit sine auxilio gratiæ; nihilominus ad doctrinā fidei non pertinere quomodo ille actus, vel in entitate, vel in obiecto formali distinguatur à dilectione Dei naturali. Nos autē admittimus distinguere, & in specie, ac substantia suæ entitatis, & in obiecto formali. Quod quidem in actu naturali benevolentia imperfecto cōparato ad amorē charitatis super omnia facillime intelligitur, quia simplex affectus, & voluntas conditionata specie differre potest à voluntate efficaci, & perfecta ex modo tendendi, et si circa idē bonū versentur. Item facile intelligitur benevolentia naturalis ad Deū, quo ametur Deo aliquod bonū ordinis naturalis, ut verbi g. laus ex sola eius naturali cognitione profecta, vel q̄ hoc modo colatur, & honoretur ab hominibus, quod obiectum ut ratione naturali regulatū, naturale est, & distinctum ab obiecto charitatis infusæ; hoc ergo satis nunc est ad distinctionem huius amoris, quantum ad defensionem assertionis posse desiderari potest: nam de distinctione harum dilectionū, si vtrūq; sit super omnia, multo plura dicenda sunt in lib. seq.

Quarta ratio sumebatur ab inconvēniens. Et in primis dico, nullum esse inconvēniens, quod peccator, & infidelis, si verum Deum aliquo modo cognoscat, illū et amet aliquo affectu benevolentia imperfecto, & diminuto. Imo credimus, id esse frequentissimum, quia talis amor per se non repugnat cum statu peccati, non est n. amicitia, sed simplex quædā benevolentia, de qua recte potest intelligi illud Matth. 7. Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum celorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, &c. Deinde neq; secundum inconueniens in rigore sequitur, scilicet, q̄ amor Dei super omnia sit et naturalis: nā potest dari amor benevolentia supernaturalis, qui non sit super omnia, sed solū affectius, vel diminutus, ut sequenti capite explicabo, & latius in lib. seq. Idemq; cum proportionē verū est in amore naturali, nam ex eo, quod imperfectus actus sit possibilis per vires naturæ, non sequitur et perfectus esse possibilis. Veruntamen etiam si illatio non sit bona; nihilominus credimus, cōsequens esse verum, nimirū, dari posse actum naturalem dilectionis Dei super omnia, ut capite sequenti ostendemus. Vnde ad tertium inconueniens negatur sequela, quia propria dispositio ad gratiam est infusa dilectio charitatis, quæ est longe excellentior, non autem naturalis dilectio, quæ intra ordinē benevolentia imperfecta est, huius aut rationē in c. 26. reddemus.

## CAPVT XXXI.

*Utrum diligere super omnia Deum ut auctorem naturæ sit actus ita in substantia, & ordine suo supernaturalis, ut excedat vires naturales liberi arbitrii creati, & ideo sine auxilio gratiæ elici non possit?*

**H**ÆC quæstio communiter tractatur solum de amore benevolentia, habet tamen etiam locum in amore concupiscentia Dei, nam quidam, ut refert D. Th. quod lib. 1. art. 8. dixerunt, posse hominem diligere Deū plusquam seipsum, ac proinde super omnia amore concupiscentia, licet nō benevolentia, seu amicitia. Eandemq; opinionē de Angelis refert idem D. Th. 1. p. q. 60. art. 5. Prius vero tractabimus questionem de amore benevolentia, iuxta vñtatum, & distichiohem, magisq; necessarium sensum, & in fine pauca de amore concupiscentia addemus. Oportet autem aduertere non esse eandem questionem, an actus huius dilectionis naturalis sit, & an possit fieri à libero